ORATIO R. D.

SCIPIONIS BONGALLI CI. RO.

CIVITATIS CASTELLANÆ ET

Ortanæ Episcopi, in Festo omnium
Sanctorum habita.

M.D.LVI



Romæ, apud Antonium Bladum Impress.
Cameralem, Anno M D L V I



VONIAM non valde ſtentoreus fuít Epiſcopus, & accelerans breuítatís ſtudío non nulla dum haberetur omíſit oratío, iccírco multís efflagítantíbus modó procedít ín publícum, lícet ínuíta & verecunda, vt auríbus & oculís audíentum, ſi poterít, rem ſane perdífficílem, facíat ſatís. Tu veró píe Lector luſtra Pantheon íſtud, & cõtemplare noſtrorum Terrenorum díuorum, ſiue homínum cęleſtíum perpetuas æternítates & gloríás, ad quas vtínam nos etíam tres Chríſtianæ Gratíæ perducant, Spes, Fídes, Charítas, quæ tría manent, defícíentíbus feré rebus cæterís vníuerſis, quínímmo ípſa vna, quæ pluſquam vera Pandora eſt, & vníca ſuffícít, nos regat & prouehat Charítas. Víue & vale.

AD SANCTISS. D. N. PAVLVM QVARTVM CARRAFAM PONT. MAX.

Scipionis Bongalli Ci. Ro. Episcopi Ciuitatis Castellanæ & Ortanæ, in die Sanctorum omnium Oratio.



VPRA montem excelsum ascende qui euangelizas Sion, Isaia 40. Legimus in sanctis Libris, Pater Beatissime, descensum, & ascensum Dei in montem & aperte' vidimus de descensu emanasse veterem carnis, timoris, & horroris legem, de ascensu prodiisse nouam, plenam spiritus, amoris, gratiæ, et fauoris: in descensu audita tonitrua & omnia terribilia, in ascensu voces Angelorum, lingua cęlorum, & diuina visa miracula: ibi nigricans fumo, & caligine mons, hic splendor & ignis in sublimi vertice, lucidissimus illuminator: ibi occultatio per figuras & obscurum, hic manifestatio, & claritas per effectum: ibi lex operandorum, & prophetiam credendorum, hic opera & virtutes: ibi nox, hic dies venit, totius consumatio sacrosanctum nostrum omnia viuificans Euangelium, virtus Dei omni credenti. sed fuerit aliorum sane' grauis ille descensus, dummodo sit noster ascensus, dummodo conscendamus hodie cum Iesu duce & capite nostro, & perdiscamus quid rerum gerendum nobis sit, vt bene', beateq; viuamus, & moriamur, simulq; deuoratis cupiditatum voraginibus, ac perfractis voluptatum harpagonibus, qui nos curuos in terrã tenent, pennis animorum quæ sunt recte' facta, immo duabus duorum mandatorum alis, omnes pennas habentibus, vt Aquilæ non cecutientes ad solem, eleuemur sursum, volitemus sursum, & relinquamus deorsum, vt quas modo alacres octo audimus iacentes ad pedes Iesu, postremo' eodem tribuente feliciter assequamur beatitudines.

Ad quas quidē si pergere volumus, cupidi in montē cum suis ad eum discipulis accedamus, à 30 & 3 Psalmo instructi aiente, Accedite ad eum, illuminamini, & facies vestræ non confundentur, in petitionibus repulsam nō patientur. Is verò ille est, de quo cap. item 4 & 20 Ecc. dicitur, In ecclesiis altissimi aperiet os suū, non vt antea Prophetarum, & Apostolorum ora. Is ille est, qui erat ante omnia, & semper in omnibus est, & erit semper in omnibus. Is ille est qui mēsus est pugillo aquas, & cęlos palmo ponderauit, qui appendit tribus digitis molē terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera. Acceleremus itaq; & verba vitæ audiemus. Largus enim est, benignus est, & quæ dixit olim instructor Apostolis, dicit & nobis loquetur ad cor Hierusalem, dicet & posteris per annos æternos, & sęcula ventura dicet, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cęlorum. Fęlix sane doctrina exordium sumēs a Beatitudine, quæ est purgati animi, immo perfectæ animæ virtus. ista nempe volentibus pollicetur suauitatē in futura beatitudine, in spiritu humilitatem, in æterni regni possessione vtilitatem: & cum triplex paupertas esse dicatur, voluntaria, necessaria, atq; simulata: vna est laudabilis, tolerabilis altera, tertia vituperabilis, Nam prima est pauperum Christi, mundi pauperum secūda, tertia pauperum diaboli, Prima paupertate sunt beati pauperes qui paupertatem magistram vitæ esse censent, beati pauperes qui Dei existimantur semper esse: beati pauperes, superbiæ, luxuriæ, inuidiæ, auaritiæ spiritu pauperes, sui opinione, sui existimatione pauperes, qui quantūuis magni sint, se se tamen agnoscunt, & aliis ignoscunt, se se amurcam olei, se fecē vini esse intelligunt, se bullam esse vident, se tanq̄ ex se nihil esse sciunt, & cum omnia fecerint non sunt, sed dicūt serui inutiles sumus, ii beati pauperes eo spiritu neq̄, qui exagitabat Saul 1 Reg. 16. beati pauperes spiritu ꝑcellarū Psal. 10. nam pauperes spiritu, sunt humiles corde, beati inquam pauperes, qui non de Tantali genere,

adulatores

adulatores sunt non impostores, non destructores sunt, non fortunis, aut dignitatibus tumidi sunt, nō impudici arrogantes, impudētes sunt, sicuti aliqui curiæ filii. Beati ergo pauperes spiritu, spirituali scilicet voluntate, vt excludatur & falsitas in Hypocritis, & vanitas in Philosophis, ii nimirum beati pauperes voluntarii qui veras diuitias amarunt, nec sperauerunt in pecuniæ thesauris, ideoq; agiles facti sunt ad sequendum ad altiora Dominum, dicentes. Ecce reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Graciles facti sunt ad intrandā portam paradisi, onere exonerati grauium sarcinatū, & edocti de camelo per foramen acus potius intrāte, q̄ homine locuplete impio atq; nefario ad Deū penetrāte. Diuites facti sunt ad emēdum regnum cęlorum, quod quidem significari credendum est per agrum illum venditionis Christi, pretio cōparatum in sepulturam peregrinorum, qui quidem eramus nos: vnde x̄ps ipse ꝓclamat, venale habeo, venale habeo, quid? Regnū cęlorū. Ecqui nam emitur? paupertate regnū, humilitate gloria, labore qes, morte vita. Iure itaq; optimo cędat: quæ paupertati semper opponitur ventosa, ambitiosa, ampullosa superbia, vitiorum caput colla submittat, quoniam pauperū spiritu indubitanter est regnum cęlorum, quod est dicere, Christus pauperum est, scriptura sancta pauperum est, militās & triumphans Ecclesia huiusmodi pauperum est.

Sed qm̄ in mundo deteriora vincūt, iccirco pauperes isti domini pusillus grex sæpe iniuriis afficiuntur, lacerantur opprobriis, lacessuntur conuitiis, persequutionibus flagellantur, obruuntur insidiis, cęlestis iccirco doctrina eos confirmat ad extrema quæq; fortiter perferenda, & de primo gradu tollit ad alium, vt contendant festinantes ad apicem, qui Ecclesiastici decimo describitur sedes superborum destruxit, & sedere fecit mites pro eis. Qua de re hic dictum est, beati mites, beati mansueti, christiana profectò, & charitatis nomina, qui ipsi quasi suo iure quodam adibunt hæreditatem illam, quæ stabi-

limentum est & finis, hæreditatem quæ sola est hæreditas & non alia, nam neq; cęcus thesaurus, neq; caduca mundi omnia hæreditas habent commodum, sed sola illa est hęreditas, in quibus est portio Deus. Nam in Psalmo dicitur, mansueti hæreditabunt terram. & alibi, ꝓpter mansuetudinem, & iustitiã tuam, deducet te mirabiliter dextera tua. Mansuetus est in effectu, mitis in affectu, mitis nec irritat, nec irritatur, neminẽ offendit, & offendentem pfert, mitis patitur iuxta Philosophi dictum, sed non deducitur quod est lęsionem non sentit, mitis æquanimiter omnia sustinet, innocens est, patiens est, longanimis est. Beati ergo mites, quoniam ipsi terram possidebunt, terrã quam terunt, terram quam gerunt, terram quam quęrũt, terram mundi, terram sui corporis, terram paradisi, quinimo quod maius est, possidebunt dominum in terra viuentium, & sic erit eis vita de vita, sabbatum de sabbato, Isachar asinus fortis Gen. 59 vidit requiem ꝙ esset bona, & terrã ꝙ esset optima, & supposuit humerũ ad portandum. Super hũc asinum mansueti ascendunt, & sedẽt mites, in portu siue tempestate, semper vndique tuti ab omni peruersitate, proteruia, improbitate, fallacia & leuitate fortunæ. Quòd si pauperibus regnum cęlorum, & mitibus terra premittitur, quid ergo superbis & arrogantibus nisi infernus relinquitur?

Ast modo videamus lugentes, pfecto numero, & loco & statu suo fortunatissimos, nã post mundi contemptũ per paupertatem, post quietem mentis per mansuetudinem, nihil in se nec in aliis videt homo Dei, nisi flebile, & lamentabile quippiam. Ideoq; secum tacitus luget, & eleuans se supra se, alta mente cõsiderat, quòd vere beati sunt, qui sua peccata lugent, beatiores qui aliena, nam qui aliena lugent, certum est, ꝙ sua non habent quæ lugeãt, sed profecto beatus est iste luctus, qui homines beatos facit. Est nãq; mare illud æneum in templo Ecclesiæ, in quo lauãtur Sacerdotes, 2 Paral. 4 Est secundus baptismus in domo domini, in quo mundantur fideles, est bal

neum in pomerio Susannæ, Daniel 13. Est irriguũ terrę aridę, Iudic. 1 Est cisterna Bethlehē, cuius aquas in libris Regnorum desiderauit Dauid. Est fons hortorũ, & puteus aquarum viuentium, Cant. 4. Est natatorium Siloe in quo cęcus visum recepit. Est Iordanis fluuius, in quo Naaman Syrus mundatus est. Est probatica Piscina: est cella vinaria, in qua introducitur sponsus: est deniq; mare rubrum, in quo submerguntur Aegiptii, exercitus scilicet, & turmę Satanicorum. sed vt peccatorum risus in luctum cito vertendus est, & gaudia in męrorē, sic piorum iste luctus vertetur in cōsolationem, Io. 16, plorabitis & flebitis vos, mũdus aũt gaudebit. sed tristitia vestra vertet in gaudium .s. sempiternũ, gaudium quod nō datur impiis, bone Deus gaudium quod gaudere facit in te, de te, & propter te, summum summa de veritate gaudium.

Post lugētes cāpos, quarti meritò veniũt contēplandi, quoniam esuriunt, & sitiunt iustitiam. Hęc quippe virtus vt est generalis ad virtutes omnes, sic ea pręsenti in sęculo perfectè potiri nequaq̃ possumus, quoniam instabiles in via sumus, & aliò tendimus: sed quidem certè planum est, ꝙ ipsius fons non est alius nisi Deus, vnde qui hanc habet, prudentiam habet, temperantiã habet, fortitudinem habet, ceterasq; omnes virtutes habet, & in quauis actione rerum luculenter intelligit, ꝙ iustus ille non est qui non facit iniuriam, sed qui inferre potest, nec vult tamen. vnde iustus ius suum vnicuiq; facile tribuit, Deo in primis tria, summo vt auctori, & creatori honorem, amorem redemptori, timorem iudici. proximo tria, superioribus obedientiam, paribus cōcordiam, inferioribus beneficentiam: sibi tria, cordis munditiam, oris custodiam, & carnis disciplinam. esuries ista & sitis igitur satiabitur cũ apparuerit gloria Dñi. Verumenimuero Euangelii iste locus nō oscitanter vt reor ꝑtermittendus, quinimo animaduertendus, & diligenter excutiẽdus est, nam planum nobis facit, quid de te Maxime Paule Pontifex sperare debeamus, qui loco quarto in excelsis pulcherrimè col-

locatus ſedes,& inde ſolũ Deũ ſpectas,& ſuſpicis, & poſt hũc vnũ,omnia inferiora habes, patrui inſigniſſimi Carrafæ tui Oliuerii Cardinalis veri, veſtigiis inhęrẽdo,qui te pręclara omnia docuit,cum & eſſet,& haberetur exẽplum veteris ſanctitatis, Aſt ipſe canam eius ſapientiam tranſcendiſti,& greſſibus tuis celſior ambulaſti,Iccircoqꝫ Iulio II. Leoni X. Adriano VI. Clementi VII. Paulo III. Iulio item III. Marcello II. tum chariſſimus, tum vtiliſſimus,tum honeſtiſſimus extitiſti: Semper enim vt olim Pallas Vliſſi,facem tibi prætulit,& grandia facta subminiſtrauit,Pietas antiqua,ſenex Eccleſię ſimplicitas, priſca fides,Religionis primæua Maieſtas, vnde popor-tune ſalutaris ea à te forma proceſſit plectẽdi improbos veteratores,innouatores,ex omnium ſcelerum colluuione natos hæreticos,quæ quidem forma niſi prudẽter excogitata,& tempeſtiuè promulgata fuiſſet, res forſitã tota hodie noſtra funditus corruiſſet. Sed vtinam errantes illas & perditas oues reſtitueret,& hanc palmã tibi reſeruaret deus.Nã Germania latiſſima ꝓuincia atqꝫ nobiliſſ. quæ ſuo & aliorum vitio improuida cecidit,& putridũ facta mẽbrum tandiu a capite aberrat & abſcinditur ſuo, ad te ſuum redeundo Paſtorem per eſuriem & ſitim iuſtitiæ ſanata reuiuiſceret, atque in quarta Euangelii domo, quarta & ipſa beata conſiſteret.

Sed cũ ipſius iuſtitię dexter oculus & clariſſima lux ſit, quæ modò quinta ſequitur miſericordia,eſſe quid dicam cur nõ ſexta,cur nõ ſeptima,cur nõ octaua numerata ſit? Animaduertitote quęſo myſterium,ſcitis ſcio oẽs, iſthac ipſa, vt ita dicam cõpellente,Deus homo factus, ſuo tẽpore deſcẽdit in terram,vt omnes miſeratus, doceret omnes,non manifeſtatam antea, ſed tamẽ implentem totam terram poſſeſſione ſua miſericordiã. Ideoqꝫ vt in Chriſto viuo,& rediuiuo collocati omnes ſunt ſapientię theſauri,& intellectus,ſic in paſſo ſiue patiente,depoſita,atqꝫ altiſſimis eſt defixa radicibus,tota quãta erat,& eſt,& erit ante eum
vllo vnq̃ tempore miſericordia, quinqꝫ precioſiſſimis &

lacera-

Laceratissimis in foraminibus illis, cruentatissimis in plagis illis quinque ex altissimo Dei consilio atque voluntate, ęternus misericordiæ thronus fundatus est, clauis fortissimis firmatus est, stabilitus est, ex quo quidem humanæ naturæ in Adam collapsæ fuit reparatio, ante Deum natum in fide vẽturi, & ex eodẽ postea viuentiũ oĩum, & sęculis oĩbus victurorũ, exposcenda, & expectanda redemptio, expetenda & impetrãda saluatio est. Hinc nanque atrocissimum illud mortis chirographũ nobis infestissimũ deletum est, hinc Satanas ligatus in ꝓfundo, hinc cęlum reseratum volentibus vniuersis, quamobrem diuino opificio constructa hęc est munitissima arx Christianorũ in quã se se saluandi recipiũt, hęc armatura fideliũ, nobis induenda necessario, hæc corona nostra quæ suos coronat. Ista sospitatrix igitur mansuetissima atque potentissima vestræ hodie pietati (audire obsecro omnes, audite) vineam Domini, vt exundẽt torcularia vino, Virgines miserrimas, latente Dei iudicio a dęmone correptas, famę cadentes, ista orphanulos pueros candidatulam turmam egentissimam. Ista Martanas, & miserabiles vocitatas, & male nuptas fęminas, extremè laborantes. Ista tot illas ad dominum conuersas Magdalenas, pauperrimas, totis viribus, tota mẽte, totis visceribus, tota voce, tota ratione cõmendat, & cum Prouerbiorũ 10, ad vos clamat. Qui miseretur pauperi beatus erit, & cum 2 Iac. Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecerit misericordiam.

Quid vero nũc dicã de corde mũdis Deũ videntibus? quibus sexta sedes rectè destinata est, quoniã cordis mũditiam, quã ad imaginẽ Dei factus homo, sexta die amisit, sexta ætate, die, & hora recuperauit Christus.

Quid de tranquillatoribus mundi? filiis Dei pacificis? qui Psal. 75 confregerunt arcũ, potẽtias, scutum gladiũ, & bellũ, hoc est vniuersa mũdi inquinamẽta, oblectamẽta, irritamẽta, mũdi grauamina, & vniuersa certamina, interna & externa bella, impugnantia, & expugnantia tela fide vicerunt, fortitudine ꝓpulsauerunt, morte suppedi-

tauerunt,pacem sibi & aliis pepererunt, pacẽ his qui longe, & his qui prope pacem, quæ donorum omnium finis est.

Quid de his qui persequutionẽ patiuntur propter iustitiam scilicet defendendã cum Maccabeis, enunciãdam cum Hieremia, propagandam cum Baptista, conseruãdam cum Cantauriensi Thoma, qui quidem octaui iure procedunt, quoniam numerus is ceterarum quasi consumatio quædam videtur esse beatitudinum, & generalem indicat resurrectionẽ octaua ætate futurã, quã per octauas sanctorũ designari ter magnus edocuit Augustinus.

Plurima sane in hanc sententiam dicenda essent, Pater Beatissime, pertractanda & recensenda plurima, sed temporis angustia premimur, & quoniã nimis multi in dicendo fuimus, ad finem ꝑperamus: satis itaq; nobis fuerit multa relinquẽdo, beatitudines istas cum assidua corporis exercitatione, tum perpetua animi meditatione cõplecti, & istorum vestigia persequi, quorum turbam magnam, & numerũ innumerabilem, singulis in annis vertentibus, vna sub celebritate nobis magna mater Ecclesia sancta proponit: hos feramus in oculis, hos imitemur hos horis omnibus suspiciamus, tũ in tabulis parietibusq; tũ in cordibus depictos atq; descriptos, sicut filii chariss. delectemur bonorum parentũ imaginibus, isti enim sunt qui potestatẽ in vita habuerũt claudere cęlum nubibus, isti sunt quorũ linguæ claues cęli factę sunt, isti sunt qui plantauerunt Ecclesiam sanguine suo, & nostra hæc ex minimis tanta fecerunt, isti sunt qui mira vitæ sanctimonia, cęlestium rerum contemplatione, diuinarum misericordiarum recordatione, & cõmemoratione, atq; in hac plurimorum discipulorũ institutione, ac eruditione conscenderunt in montem Galileę Thabor, veras ad vnguẽ Beatitudines edidicerũt, acquisiuerũt, suas fecerunt, mordicus tenuerunt. Iccircoq; ad memoriã æternitatis, maxima extructa est eis ara virtutis, pro clarissima parta victoria de mundo, de carne, de inferno, qui illis non ape

riet os suum . Huc igitur,huc omne aurum confluat co-
ronarium,omnia infularum genera properent, veniant
murales castrenses nauales, ouales veniant, his ciuice,his
dentur laureæ, his imponãtur coronæ aureæ,his extru
cti sint æterni arcus, & parati eburnei currus, aureati,&
laureati, & ducētibus candidissimis fidei mannis, qui sunt
laus & gloria,alte triumphent, se se enim viuentes vice-
runt,& cęlestia regna possederunt. Quamobrem si licet
Romanis hominibus dicere,derideatur a nobis de Rege
Pyrrho triumphus M. Curii: de Philippo, T. Flaminii,
de Ætolis,M. Fuluii:de Rege Perse L. Pauli: de Pseudo
Philippo V. Metelli: de Corinthiis L. Mummii. Deridea
tur item Fuluii de Gallia, Papirii de Sãnio, Scipionis de
Numantia:derideãtur Mariana, Luculliana, Pompeiana
trophea cum ceteris,nam tota de terra fuerunt, & in ter-
ram tota reuerterunt.At nostrorum exercitium istorum u
strenuorum , Centurionũ fortissimorũ, Imperatorumq;
bellicosissimorum , vt fuere durissima, & fere plusquam
humana certamina,sic etiam extiterãnt plusquã trophæa u
cęlestia, & magnæ illæ quidem Quiritium animæ in ar-
mis sui prodigæ , pro laboribus innumeris , pro duro
Marte, pro mundana militia, Gloriolam tantum vanam
& futilem populli auram , & sine fine mortem . Nostri
vero qui hodie præ manibus sunt heroes , & medioxi-
mi,pro sudore, pro angustiis, pro pedore, pro vinculis
pro ieiuniis & vigiliis,pro effuso sanguine , solidam glo-
riam,adamantina nomina,æterna sunt vitæ præmia con
sequuti , tanto illis feliciores atque sublimiores , quanto
erant in perpetuis gaudiis , & exultationibus diuturnio-
res.Compone itaq; orbem ad istorum exemplum Maxi-
me Paule Põtifex,huc quæso vaca,& voca tam magnos
q̃ paruos,tam medios,q̃ imos,& infimos,tam de sanctua
rio,q̃ extra sanctuarium subiectos tuos (oẽs enim qui de
grege Christi sunt,subiecti tui sunt)tardos corde, & sur-
dos aure ptinaci impugna & expugna,argue,increpa,af-
fer neruos & industriã,& vince pteruiam auctoritate, &

tibi diuinitus tradita potestate,cōtra quā portę inferi nō prævalebunt,ad tantum mihi crede triūphum te sequentur oēs boni, te concomitabuntur cęteri,qui sanæ mentis erūt & præsertim anteambulones erunt, Rectores & Ornatores populorum fideles tui Epi, & morem gerēt. Eos enim statim factus Pontifex in maximam spem erexisti, quod tuo tempore Epi inciperent esse Episcopi, & nō vt antea tabernarum circuli, in possessione nāq; illa tua Laterana feliciſſima ad lautiſſimas epulas inuitasti, ante ora deinceps tua operto semper capite mira cum charitate esse iussisti,faciles aditus ad te patefecisti,& eminētissimā dignitatē tùm iniuria & feritate tēporū, tū hominū inhumanitate iam obsoletiſſimā recognouisti, & sibi, & tibi restituisti, & vt bonis tēporibus in more positū erat, vetustiſſimā,& sanctiſſimā oībus esse voluisti,a vulgo prę terea segregasti, simulq; indicasti quòd nihil est vulgare tuū.Quāobrē Propheta toto astante hodierno sanctorū Concilio dicet tibi, tam iusto,tam glorioso, tam annoso Pastori, tam vero Christi Vicario.Quoniā Paule Quarte memor nominis tui,imitatorq; maiorū in diebus tuis extitisti, ponam visitationem tuam pacē,& præpositos tuos Iustitiā,non audietur vltra iniquitas in terra tua,vastitas, & contritio in terminis tuis,occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio, nō occidet vltra Sol tuus,& Luna non minuetur,quoniam Dominus erit tibi in lucem sempiternam,& consumabuntur dies luctus tui.

FINIS.